Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



vobis quod adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me
Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea que sunt de me fi
nem habent. At illi dixerunt. Domine ecce gladii duo hic. At ille
dixit eis. Satis est. Et egressus ibat secundum consuetudinem in mon
tem oliveti. Secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset
ad locum dixit eis. Orate ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus
est ab eis quantum est iactus lapidis. et positis genibus orabat
dicens. Pater si vis transferre calicem hunc a me. Verumtamen
non mea voluntas sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de celo
confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. et factus
est sudor eius sicut gutte sanguinis decurrentis in terram. Et cum surre
xisset a oratione venit ad discipulos suos. invenit eos dormi
entes prae tristitia. Et ait illis. Quid dormitis. Surgite
orate ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente ecce turba et
qui vocabatur iudas unus de duodecim antecedebat eos et appro
pinquavit iesu osculare eum. Iesus autem dixit ei. Iuda osculo
filium hominis tradis. Videntes autem hi qui circa ipsum erant quod
futurum erat dixerunt ei. Domine si percutimus in gladio. Et per
cussit unus ex illis servum principis sacerdotum et amputavit auri
culam eius dexteram. Respondens autem iesus dixit. Sinite usque huc.
Et cum tetigisset auriculam eius sanavit eum. Dixit autem iesus
ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum et magistratus
templi et seniores. Quasi ad latronem existis cum gladiis et
fustibus. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo non extendis
tis manus in me. Sed hec est hora vestra et potestas tenebrarum.
Comprehendentes autem eum duxerunt ad domum principis sacer
dotum. Petrus autem sequebatur a longe. Accensis autem igni in me
dio atrio et consedentibus illis erat petrus in medio eorum.
Quem cum vidisset ancilla quedam sedentem ad lumen et cum